DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DIABETE MELLITO;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUDOVICUS EVANS,

CAMBRIENSIS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC. HONORAR. ET PRÆS. ANN.
NECNON SOCIET. REG. MEDIC. EDIN.
SOC. EXTRAORD.

"How many things must go right for us to be an hour at ease! How many more for us to be vigorous and active!"

PALEY'S *Natural Theology*.

VII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.
1805.

Medici profectò munus est, ægrotis sanitatem reddere; cum tamen ex lege naturæ erit tandem unicuique mortalium ægrotatio nulla arte medicabilis, benevolæ hujus artis professoribus conveniret, mortem inevitabilem, quantum fieri potest, terrore omni spoliare; et ubi non datum est prædam morti extorquere, sed vita necessariò amittenda est, operam saltem dare, ut cum minima crudelitatis specie amittatur.

Heberdeni, *Com. de Morb. Hist. et Cur.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE MELLITO.

I. Morbus, de quo in animo est disserere, omni nostro studio dignus. De ejus naturâ, causis, et sanatione, adhuc scientiâ minimâ potimur. Nec sperare possumus, donec functiones digestionis et assimilationis meliùs intelligantur, theoriâ frui, quæ phenomena morbi explicet, atque methodum medendi faustam demonstret.

II. Chemia humorum physiologiam ap-

primè illustrat. Attamen confitendum est, ab ea, parum auxilii, morborum investigationem adhuc accepisse. Fas est speratu tamen, hanc scientiam mox multò magis opitulari, corporis functiones, morborumque causas explicare.

HISTORIA.

III. Diabetes nonnullis auctoribus vetustioribus in duas species dividitur, nimirùm in Diabetem spurium et Diabetem legitimum.

IV. Procul dubio, Diabetem spurium, et Diabetem insipidum, auctorum recentiorum, unum et eundem morbum esse. Verisimile est etiam, nullum discrimen esse inter Diabetem legitimum, et Diabetem mellitum.

V. In eadem Classe et Ordine, atque sub eodem Genere, et Nomine, Diabetes mellitus, et Diabetes insipidus, morbi inter se adeò diversi, ut nobis videtur, non recte ponuntur.

VI. Nostrâ sententiâ, Diabetes insipidus

symptomaticus semper habendus est. Ni fallor, ille est semper morbus partis corporis solum, hic totius. In illo urina magnâ copiâ solummodo mingitur, in hoc dotes ejus mirificè mutantur.

VII. Sub initium paroxysmi hysteriæ, urina sæpe permagnâ copiâ redditur; attamen hoc profluvium auctum a Diabete vero, longe distinctum est.

VIII. Licet auctores vetustiores, qui de Diabete scripserunt, nihil de dulcedine urinæ verba fecerunt; vix dubitandum, eos vidisse morbum, de quo agimus. Descriptio ARETÆI præcipuè, propter summam perspicuitatem, etsi tot secula jam elapsa, vix locum emendandi reliquit.

IX. Morbus ut plurimum tam lentè obrepit, quod interdum aliquamdiu permansit, priusquam cæperit ægrum molestare. Prima

indicia sunt, sitis insolita, cupiditas cibi vorax, urina aucta, et sapore melleâ predita.

X. Hæc signa gradatim ingravescunt. Æger perpetuè sitiit, et urina in tanto modo redditur, quod aliquando, viginti, triginta, quadraginta, ampliusve libras in uno die adequat.

XI. His signis, alia mox superveniunt. Os arescit, lingua rubet, lentescit. Gingivæ tument, rubescunt. Saliva fit albida, viscida, spumosa, haud rarò mellea; cutis arida, sæpe squamosa, sensilitatisque expers. Sensu caloris circum præcordia et ventriculum, æger maximè dolet, precipuè si aliquamdiu a potu abstinuit; atque doloribus regione lumborum subinde vexatur.

XII. Volæ manuum, plantaque pedum, die vesperascenti, nunc incalescunt. Noctu cutis plerumque est arida, et calida, eo exeunte,

sudor nonnunquam acidi odoris erumpit. Interdum spiritus similitèr olet, simulque sapor acidus in ore percipitur.

XIII. Alvus plerumquè pertinaciter adstricta est, interdum tamen, sub finem morbi, nimis soluta.

XIV. Functiones sensorii sæpe maximè turbatæ; et æger dolore capitis, vertigine, &c. adfligitur. Sensus audîtus, vîsus, interdum hebescunt, aut omninò deficiunt.

XV. Nunc totum corpus citò emacrescit, summaque debilitas adest. Ædema pedum (nonnunquam ascites) supervenit, interdiu manet, maneque recedit. Aphtheæ os, et fauces occupant. Animus deficit, denique ægrotus decedit, delirio aut convulsu praegrediente.

XVI. Per totum morbi decursum, somnus

perturbatur, ægrotumque parùm reficit. Sanguinis circuitus abnormis est; arteriarum ictus modò crebriores, modò naturales, sunt.

XVII. Morbus interdum paucis hebdomadis necat, multò sæpiùs per aliquot menses, aut etiam per paucos annos, perdurat. Haud rarò, febre superveniente, aliquandiù dimovetur; sed febre sublatâ, rediit, brevique occidit.

XVIII. Signa hujus, tanquam omnium aliorum morborum, non semper ordine, quo descripsimus, consequuntur. Nonnulla per totum morbi decursum abesse, dum alia, quamvis insolita, accedere possunt. Inter ea, quæ nonnunquam hunc morbum comitantur, verùm minimè necessaria, ad eum constituendum, Phymosis et Dysuria auctoribus enumerantur. Urina interdum ex vesica sine voluntate fluit, adeò ut ægroto plurima incommoda facere.

XIX. Historiâ morbi breviter traditâ, pauca nunc dicenda sunt, de miris mutationibus, quas sanguis et urina, eorum Diabete laborantium, subiunt.

XX. Initio morbi urina plerumquè est decolor, pellucida, insipida, et odoris omninò destituta; interdum tamen est turbida, et perdulcis; melli in aqua soluto haud absimilis.

XXI. Urina evaporatione præbet, plùs minùsve materiæ saccharinæ. Quantitas hujus materiæ est varia. Ex libris duobus urinæ, ab unciis duabus usque ad uncias quatuor ampliùsve obtinetur. In uno hujus morbi exemplo, uncia aquæ in qua grana triginta sacchari soluta sunt, vix dulcedinem urinæ ægroti, æquabat *.

XXII. Interdum sub finem morbi, urina

* Home. Prælect. Clin. 1804.

prius mellea; amara, acida, aut insipida fit; nonnunquam etiam, quantitate minùs solitò redditur.

XXIII. Coagulatur neque acidis, neque calore; neque ut urina sana putrescit; sed spontè acescit; atque fermento idoneo addito, in liquorem, cerevisei tenui similem, converti queat.

XXIV. Additâ calce, vel alkali fixo puro, vapor ammoniæ emittitur, unde apparet, nonnullas ex suis dotibus inesse.

XXV. Cl. Dobson, saccharum sanguine ægroti Diabete laborantis, et serum turbidum, se compertum esse affirmat *. Quamvis nemo præterea saccharum invenit, fide ejus niti nos non hærere decet, præcipuè ut multi sanguinem quasdam mutationes subire declarâ-

* Med. Observ. et Inquir. Vol. IV.

runt, quibus in putredinem minus proclivis, factus est.

XXVI. Memoriâ semper tenere oportet, hoc morbo ægrotantes sanguinis detractionem ægre tolerare, ideòque experimentorum causâ, eum detrahere haud careat periculo.

DE DEFINITIONE, *&c.*

XXVII. De loco nosologico pauca dicere non supervacuum erit. Celeberrimo Culleno cujus Synopsis Nosologiæ methodicæ omni laude digna est; Diabetes ad Classem Neurosium, ordinemque spasmorum relegatur *. Sauvagesius ad Classem fluxuum, ordinemque serifluxuum, eum referebat †. Alterius utrius ordinem sequi nolumus; quippè nostro judicio rectiùs Classi Chachexiæ, ordinique Marcorum Culleni referendus sit.

---

* Synops. Nosolog. Method.

† Sauvage. Nosolog. Method.

XXVIII. Cl. HOME primus definitionem aptam hujus morbi protulit *. His verbis utitur. " Urina aucta et subdulcis; sitis perpetua; cutis arida, et plerumque squamosa."

XXIX. Nuperrimè ROLLO hanc definitionem emendare conatus est; atque ab illo sic definitur.

" Desiderium cibi inexplebile; sitis perpetua; urina aucta et subdulcis; pulsus frequens; calor parum auctus; cutis arida cum marcore †."

XXX. Una vel altera definitio morbum cognoscere sufficit. Nos tamen, ut magìs distinctè morbum indicare videtur, sequentem definitionem edere, inducti sumus.

---

* HOME. Clin. Experiments, &c.

† ROLLO on Diabetes.

Urina aucta et subdulcis; sitis magna; desiderium cibi inexplebile; cutis arida, sæpe squamosa; progressu vel sub finem morbi, marcore, et febre hecticâ plerumquè, supervenientibus.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXXI. Causæ remotæ hujus morbi omnino latent. An in nonnullis predispositio sit, et si sit, de ejus natura, nescimus. Auctores quidam putant, liberos posse eum hæreditare parentibus; atque exempla narrant, ubi multi ejusdem sobolis, eo conflictati sunt. Hanc sententiam multùm animi pendeo, fateor tamen, ad eam probandum, repudiandumve, plenior experientia adhuc desideratur.

XXXII. Anglici dicuntur præ aliis hominibus huic morbo opportuni esse; atque hinc nomen Morbus Anglicus ei datum; sed dubium est an occurrat frequentiùs nostrâ, aliisquam regionibus.

XXXIII. Illi, magìs adultâ quam ineunte aut provectâ ætate, huic morbo obnoxii sunt. Utrumque sexum æque adfligit; egenique ei procliviores sunt, divitibus.

XXXIV. Causæ excitantes auctoribus enumeratæ sunt, mutationes subitæ Cæli. Frigus subitò admotum corpori, præcipuè calefacto. Pathemata animum enervantia. Morbi prægressi, tanquam febres intermittentes, &c. Venus immodica. Diuretica acriora. Nimis usus potionum meraciorum, aquarum mineralium, et denique omnia quæ vires corporis frangere possunt.

XXXV. An unquam hæ solùm morbum excitaverunt, dubium est. Satis constat, omnes vel saltem plerasque, iterùm atque iterùm admovisse, morbo non superveniente, neque minùs pro certo est, morbum sæpe ortum esse, sine causa ulla evidente admota.

CAUSÆ PROXIMA.

XXXVI. Causa proxima, æque ac causæ remotæ Diabetis, adhuc prorsus latuerunt. Antiquorum sententias observare, non opere pretium est; neque ulla probabilis theoria morbi, nisi nuperrimè, tradita est. Hodie de ejus natura, medici plurimùm discrepant.

XXXVII. Cognoscere varias theorias nunc inter medicos disceptas, de causa hujus morbi, non in animo est. Sat erit unam considerare quæ aliis probabilior videtur, et phenomena morbi meliùs explicaıe.

XXXVIII. Cl. Willisius primus, et illi proximus (ni fallor) cel. Cullenus, morbum generalibus, non solùm localibus causis

referendum esse, existimabant. CULLENUS opinatur, ejus causam proximam, humorum digestionem et assimilationem deficientem, esse *.

XXXIX. Cl. DOBSON, CULLENI sententiam prosecutus est; atque experimentis ab illo in sanguinem Diabetici institutis, infert, "That the disease is an affection of the system in general, depending on an imperfect digestion and assimilation;" et cel. HOME automavit, "That it arises from a defect of the animal or assimilatory process, by which the aliment is converted into the nature of our body."

XL. Diabetem esse morbum totius corporis non potest dubitari; etenim functiones omnes corporis citiùs aut seriùs læduntur.

---

* CULLEN's First Lines.

XLI. Pulsus creber, et debilis; cutis pallida, et arida; et præcipuè calor corporis diminutus, motum languidiorem cordis et arteriarum, demonstrant. Sitis perpetua, sensusque caloris ardentis circum præcordia, actionem arteriarum exhalantium non ore et faucibus tantùm, sed etiam cavis thoracis et abdominis, minui, aut prorsùs interrumpi, ostendunt. Debilitas summa functionum vitalium et animalium; macies totius corporis, phthisi aut hydrope, vix exuperata, et demùm febris hectica, meo judicio, affectionem generalem satis denotant.

XLII. Quamvis sit morbus totius corporis, tamèn unum viscus, plusquam cætera, affici potest; nonnulla etiam ex consensu.

XLIII. Probabile est, stomachum primùm pati, etenim (ut supra diximus) appetitus cibi vorax plerumquè est primum morbi indi-

cium; et sæpe per aliquod tempus duravit, priusquam cætera accesserunt.

XLIV. Rollo, libello ejus de Diabete, causam proximam hujus morbi altiùs explicare nisus est. Secundum hunc auctorem, oritur ab actione aucta stomachi morbosa, unà cum secretione auctâ et depravatâ succi gastrici *.

XLV. Ille non exponere conatus est, quomodo actio aucta stomachi, et depravatio succi gastrici, morbum producunt. Profectò confitetur, "The peculiar or specific condition of either to lie in obscurity." Ille verisimilimum putat, saccharum in stomacho

---

* "The proximate cause consists in too great a secretion and an alteration in the quality of the gastric fluid, producing saccharine matter, and which remains unchanged; by a decomposition of the vegetable matter taken in with the food, and a certain defect of assimilation as connected with digestion." Rollo on Diabetes.

formari; attamen nobis probabilius videtur, elementa solummodò hujus materiæ stomacho inesse, atque a horum conciliatione, fortasse in renibus, eum formari.

XLVI. Ex omnibus quæ diximus apparet, nostram notitiam de causâ proximâ hujus morbi non nobis adhuc contulisse plus luminis, quam pendit a digestione vel assimilatione deficiente vel ab utrisque, aut, verbis Dris. Rollo uti, ex actione auctâ stomachi morbosâ, unà cum secretione auctâ et depravatâ succi gastrici.

XLVII. Actionem permagnam ventriculi in hoc morbo nequimus negare; sed eam differre ab actione naturali, alioquin quàm vi, dubitare nos liceat.

XLVIII. Stomachi actio imbecillior vel validior fiat. Anorexia vel appetitus deficiens ex illo statu; ex hoc bulimia, vel desiderium

cibi vorax, oriuntur. Inter bulimiam et Diabetem primo stadio, haud parva analogia est. Appetitus cibi auctus utrique morbo adest; ast in bulimia, lubido cibi est tanta, quòd plùs deglutitur quàm ventriculo digeri potest. Diabete, contrà, facultas concoquendi non secùs ac appetendi cibum, nimiæ sunt.

XLIX. Diabetes nostrâ sententiâ igitur, non ab imbecilitate virium digestionis stomachi pendit, sed referendus est satiùs formationi auctæ chyli, ejusque assimilationi deficienti, in pulmonibus.

L. Ex quâ causâ hæc assimilatio deficiens oritur?

LI. Chylus ex ducto thoracico in venam subclavianam sinistram ingeritur; exindèque in atrium dextrum cordis. A corde, ope arteriarum pulmonalium per pulmones transit, mu-

tationes quasdam gravis momenti ibi subit, et in sanguinem convertitur.

LII. Chylus ipse, plus naturæ materiæ vegetabilis quam animalis, capit; sed in pulmonibus, in fluidum animale integerrimum corporis, immutatur. Quomodò fit?

LIII. Diù persuasum est, partem oxigenii aëris atmospheri solùm, nunc pro certo habemus, partem azotici quoque in sanguinem inspiratione accipi; haud dubiè rem utilissimam œconomiæ animali suppeditare *.

LIV. Materies vegetabilis et animalis inter sese præcipuè differunt, illam nihil vel parum azotici habere, hanc abundè. Hinc verisimile est, azoticum in pulmonibus cum elementis chyli jungere, atque eum in sanguinem convertere.

---

* Davy's Researches.

LV. An phenomena morbi hypothesi sequenti explicari possunt?

LVI. Ut chylum in hoc morbo quantitate copiosiore solitò gigni putamus, probabile est, totum in naturam animalem non posse mutari; nisi azoticum etiam uberiùs quam anteà, absorbetur, dehinc pars universum corpus circumit, diffusa merè, non chemicaè conjuncta sanguine.

LVII. Hæc hypothesis probabilis fit considerando, partem chyli hoc morbo mutationes proprias qualescunque sint, in pulmonibus subeundum esse, etenim sanguis Diabeticorum, Fibrinam, Gelatinam, et Albumen; urina etiam Uream, continent. Porrò si nulla pars chyli, in naturám idoneam ad corpus nutriendum, conversa esset, propter inationem ægroto brevi moriendum est.—Quòd contrà morbus nonnunquam annos duravit.

LVIII. Nostra sententia igitur nos inferre elicit, causam proximam Diabetis, magnâ ex parte, formationem auctam et assimilationem deficientem chyli esse; quo evenit unam partem solummodò in naturam animalem converti, alteram velutì materiam alienam in varis sanguiferis circumire; renesque irritare, et excitare, atque per eos demùm cum urina immutatam, percolari.

QUORUNDUM SIGNORUM RATIO.

LIX. Nullum ex morbi signis, medicorum ingenium magis exercuit, quàm profusionem urinæ ingentem, explicare.

LX. Equidèm portio liquidorum ad sitim sedandam, quæ necesse est, ægrotum haurire, sæpe sufficit rationem ejus reddere. Nonnunquam tamen urina supra modum cùm esculentorum tum potulentorum, egeritur.

LXI. Ut hoc displicetur, creditum est aquam absorbendam esse ab aëre atmosphæri vasis lymphaticis cutis.

LXII. Non mihi attinet quærere, vasa

lymphatica cutis sanæ, humorem ex circumambienti medio sorbere queantne. Sat erit perpendere, Diabete sorbeantne.

LXIII. Illi hanc sententiam amplectentes, ad probandam eam, balneo pondus corporis augeri, et sitim sedari, affirmant.

LXIV. Corporis pondus nonnunquam balneo auctum esse, nequaquam negamus. Attamen ab experimentis a SEGUIN *, CURRIE †, GERARD, &c. institutis, volumus deducere, pondus eorum Diabete laborantium, balnei usu, vix unquam auctum esse.

LXV. Sitim sæpe sedari balneo, assentimur. Nostrâ sententiâ tamen hoc tribuendum est potiùs solutioni constrictionis exhalantium oris et faucium, ex consensu eorum

---

* La medicine eclairèe, &c.

† CURRIE's Medical Reports.

cum exhalantibus cutis, quàm aquæ inhalationi; quippe licet inhalatio sit a cute sano, tamen morboso statu (ut in Diabete est) vix aut ne vix fieri queat.

LXVI. Quæ rationem permagnæ excretionis urinæ reddat, theoriam maxime ingeniosam satisque probabilem, cel. noster Professor RUTHERFORD (cui propter hanc rem, atque ob multas alias observationes de hoc morbo, plurimùm debemus) nuperrimè proposuit.

LXVII. Is medicus solertissimus verisimilimum putat, oxigenium ex aëre ductum cum hydrogenio, quod sanguine Diabeticorum ubertim existere videtur, in vesiculis bronchialibus associari, atque ita aquam gigni, quæ per vasa lymphatica in vesiculas dispersa, sorbetur, et in sanguinem convehitur.

LXVIII. Dri. RUTHERFORD insuper pla-

cit, aquam per vasa pulmonum lymphatica, ex aëre semper sed in hoc morbo multo majis inhalari. Si his opinionibus nitamur, facilè rei liquebit.

LXIX. Plurimis verùm experimentis adhuc opus est, quæ mutationes patefaciant, quas aër ægris Diabete laborantibus respiratus, in pulmonibus subit; priusquàm has sententias stabilire liceat.

LXX. *Sudoris odor subacidus.* Ut ante dictum est, cùm sudor sit, interdum acerbe olet. Sanguine Diabeticorum quantitas materiæ vegetabilis inest, quæ cum humoribus tenuioribus excernitur; et fortasse ex quibusdam mutationibus, quas antea aut postea subit, acidum vegetabile gignitur; cui odor sudoris atque sapor subacidus in ore, attribuendi sunt.

LXXI. *Macies et summa Debilitas.* Corpus hoc morbo marcescit, non modò ex re-

sumpto adipe, sed omnibus partibus malè nutritis. Quoad corpus valit, adipis plus minus perpetùo secernitur, absorbeturque; attamen hoc morbo præsertim sub finem, secretio minima aut nulla est, ideoque totum corpus tabescit, languescitque.

LXXII. *Ædema aliaque hydropis signa,* ex debilitate totius corporis, præcipùe verùm vasorum exhalantium ac absorbentium, oriuntur.

LXXIII. *Sitis, cutis arida, sensusque caloris circum præcordia.* Hæc signa ex eadem causâ suam originem ducunt; nimirùm torpore eorum vasorum quæ in salutem in os ac fauces, atque in cava thoracis, et abdominis, lympham exhalant. Quinetiàm, tanta in hoc morbo excretio urinæ est, partem serosam fere totam sanguinis per renes, excerni; atque ex lege œconomiæ, quanto una secretio major, tanto unaquaque alia minor est.

DE INCISIS CADAVERIBUS.

LXXIV. Sectio Cadaverum, naturam nonnullorum morborum, apprimè illustrat. Confitendum est tamen, hunc hactenus parùm lucis accepisse, a phenomenis sectionibus observatis.

LXXV. Renes plerumque largiores, laxiores, et interdum adorem sub acidum emittere; nonnunquam tubuli uriniferi et pelvis ampliores solitò, reperti fuerunt. Ureteres interdum tantopère dilatantur, proùt semiunciam ampliùsve in latitudinem, æquare.

LXXVI. Vesica urinaria plerumqùe in sano statu est, interdum tamen tunicæ ejus firmiores, et validiores sunt.

LXXVII. Ex omnibus phenominis incisionibus observatis; mutationes morbosæ quas glandulæ, mesenteriæ, mesocoli, et bronchiarum hoc morbo subiunt, præcipùe conspiciendæ sunt. Plerumque ampliores, pallidiores, duriores solitò reperiuntur. Glandulæ bronchiarum interdum, materiam caseam, atque etiam calculos, continent.

LXXVIII. Ventriculus et alvus aëre sæpe distenduntur. Integumenta corporis plerumque tenuioria solitò, sunt, atque pinguedo per totum corpus ferè resorbetùr. Cor interdum sine adipe, flaccidum, et pallidum est.

LXXIX. Pars interior aortæ, ab ejus origine, donec per Diaphragma transit, membranâ rubrâ sæpe velatur, quasi inflammatio fuit. Pulmones sæpe tuberculati sunt, pleuræ costarum et mediastino sæpissimè adhærentes.

DIAGNOSIS.

LXXX. Hic ab omni alio morbo facilè dignoscatur. Cupiditate cibi auctâ, siti insedabile, profluvioque urinæ immani, plerisque satis internoscitur; ad eum distinguendum ex nimia profusione symptomaticâ urinæ, dulcore ejus speciatìm diagnosis planè innotescit.

PROGNOSIS.

LXXXI. Difficillimum est in morbo tam obscuro prognosim ostendere, quæ pro certo eventum semper præsagiat. Quò medicus prognosim justam habeat, in unoquoque morbi exemplo, conditionem ægri animo multùm se perpendere oportet. Quippè satis constat, non veram prognosim esse, nisi omnia de ægro perscrutando.

LXXXII. Quid experientia instruxit, non opus est plurimis, dicere. Morbum difficillimum sanatu, inter omnes convenit; nonnulli equidem eum nunquam esse sanatum, affirmant. Nostrâ sententiâ (si nobis judicare liceat) morbus primo stadio interdum, sed ra-

rissimè sanatus est; ubi cùm ultimum stadium pervenerit, et vires ægri multùm jecerint, atque alia debilitatis macieique signa accesserint, nunquam.

LXXXIII. Ætas, sexusque ægri, præcipuè verùm effectus medicamentorum jam adhibitorum, prognosim formare, haud parùm auxilii nobis adferunt.

RATIO MEDENDI.

LXXXIV. Dolendum est praxim hoc morbo æque ac theoriam dubiam esse. Rationes medendi differunt, prout medici theoriam spectent.

LXXXV. Remedia quæ corpus universum, et stomachum præcipue reborant, a quibusdam jactantur. Dum aliis contenditur, quòd medicamenta quæ renes firmant restringantque maximè prosunt. Hinc Tonica; Stimulantia; Sedantia; Adstringentia; Laxantia; sæpe permistè, utuntur.

LXXXVI. Nonnunquam contigit, febre Diabete superveniente, paulisper ægrotum intercapedine mali frui. Quamobrem noster cel. Prof. RUTHERFORD, febrem aromaticis calefacientibus, potionibus meracioribus, &c. excitare monet. Oportet febris sit gravis et diuturna.

LXXXVII. Nostra sententia de causâ morbi proferre inducit tria consilia medendi.

1mo. *Actionem stomachi minuere.*

2do. *Formationem materiæ saccharinæ quàm maxime præcavere.*

3tio. *Signa molesta levare, effectusque morbi tollere.*

LXXXVIII. Unum consilium regimine et

medicinâ absolvitur, alterum diætâ maximè, aliud remediorum usu.

LXXXIX. Ad stomachi actionem minuendum, medicamenta vi narcoticâ predita, vomitoria, olea animalia, &c. maximè proficiunt. Ex narcoticis opium, et digitalis sæpissime in usu sunt. Quò sint utilia, necesse est, dosim eorum paulatim augeri. Si aliquorum auctorum fide nitamur, opium permagnis dosibus administratum, morbi processum nonnunquam resistitit. Hyosciamus beneficio utaturne? quippe est narcoticum potentissimum, quinetiam non alvum constringit.

XC. Vomitoria iterùm atque iterùm adhibita, stomachum plurimùm debilitant, hinc commodo in hoc morbo exhibeantur. Gummi fætida, ut færula assa fætida, &c. adhibita, quò nausea excitetur, æque utilia sunt. Eandem ob rem hydrosulphuratum ammo-

niæ* a Dre. Rollo plurimum jactatur. Hoc esse videtur potens remedium sedativum, hinc actionem ventriculi magnopère minuit.

---

* "This medicine is easily prepared, by making a stream of pure hepatic gas (sulphurated hydrogen gas) pass through the aq. ammon. pur. ph. Lond. until no further absorption is perceived, or until the alkali is saturated. The hepatic gas should be obtained for this purpose from artificial pyrites, or sulphuret of iron, and the muriatic acid.

"The easiest method of making the artificial pyrites is to raise a piece of iron in a smith's forge to a white heat, and then to rub it against the end of a roll of sulphur; the iron at this temperature immediately combines with the sulphur, and forms globules of pyrites, which should be received into vessels filled with water. These globules are to be reduced to powder, and to be introduced into the proof, to which a sufficient quantity of the muriatic acid is to be added.

"The dose to an adult should not at first exceed three or four drops, to be given three or four times a day; and this dose to be gradually increased, so as to produce slight giddiness." Rollo on Diabetes.

XCI. 2do. *Materiæ saccharinæ formationem quam maxime præcavere.*

Sacchari formatio diætâ carnis præcipùe diminuenda est. Omnia vegetabilia sacchari plùs minùsve habent, atque ejus elementa in se abundè continentur; eam ob causam, hoc morbo laborantes ab iis abstinere oportet. Difficile est factu, penitùs a pane eos cohibere, sed ejus usus quàm maxime coercendus est.

XCII. Potionibus meracioribus æger prorsùs abstinetur, vel summam temperantiam observetur, et nullo alio potu præter aquam puram, vel aquam acido sulphurico acidulatam, vel in qua supertatris potassæ soluta est, utetur.

XCIII. 3tio. *Signa molesta levare, effectusque morbi tollere.*

XCIV. Laxantibus mitioribus, alvus soluta semper tenenda est. Interdùm tamen, tantus est torpor intestinorum, necesse erit purgantibus uti; eaque quæ minimè irritant, anteponenda sunt.

XCV. Somnus optimè conciliatur opio, sub formâ haustus anodyni, horâ somni adhibito.

XCVI. Sub finem morbi signa dyspepsiæ propria ægrotum plurimùm vexant. Ructus acidi, cardialgia, &c. *antacidis*, ut aq. calcis, aqua super carbonatis sodæ, magnesia, carbonas calcis, &c. sublevantur. Nausea haustibus salinis effervescentibus meliùs removetur.

XCVII. Ad stomachum roborandum (nunc morbo debilitatum) tonica, et amara, ut preparata e ferro, cortex peruvianus, gentiana, &c. &c. eodem tempore sunt administranda.

XCVIII. Medicamenta ad diaphorisim excitandam adhibenda sunt. Hoc plerumquè difficillimum est factu. Vomitoria opiatis conjuncta, ut pulv. ipecacuanh. c. opio; aut vin. antimonial. c. tinct. opii pro hoc consilio optimè respondent; simulque balneum; frictio, atque exercitatio modica, utenda sunt.

XCIX. Renes tàm diù in actionem auctam excitati, laxi, debilesque fiunt. Signis morbi propriis sublatis, hi in sanitatem tonicis et adstringentibus, ut cort. peruvian. acid. sulphuric. sulph. alumen. tinct. cantharid. &c. &c. reficiendi sunt.

C. Cùm ægris placeat, omnem spem salutis incisam esse, tum mœrore conficiuntur, ita medicamenta minùs proficiunt; est medici, iis solatium præbere conari, atque ani-

mi hilaritatem, fortitudinemque fovere, ne dejectione ejus æquè ut malo succumbant.

FINIS.